

Utraque sententia probabilis videtur. Primam tamen *probabiliorem* dicit S. Lig. n. 890. (*)

949. — **QUAER.** 5^o *An sit validus, si magna pecuniae summa una vice exponatur?*

Resp. Affirm., per se, probabilius, si conditiones requisitae serventur, id est praesertim, si ludentes de bonis suis libere et plene disponere valeant, sine detrimento familiae, creditorum, etc., quia ludentes aequè periculum subeunt scientes et volentes; ac proinde nulla est iniustitia. Sed facile deficiunt praefatae conditiones; et aliunde etiamsi talis ludus non esset contra iustitiam, saltem honestati adversatur: unde prudens Confessarius per modum satisfactionis iniungere, si opportunum videatur, posset poenitenti victori, ut partem aliquam lucri in usus pios impendat. — Antoine, c. 11. qu. 5. — Bouvier. — Gousset, n. 889.

Attamen, cum haec sententia non sit certa, non videntur inquietandi in tribunali Poenitentiae illi, qui nolent solvere magnam summam, quam amisissent. — Ita recte Gousset, *ibid.*

950. *Conclusio.* — Licet ludus plerumque sit in se licitus, et honestae recreationi inserviat, debita moderatio in eius usu quam maxime commendanda est, ne facile in detestandos abusos deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobatur quotidiana et lugenda nimis experientia! Quot enim, heu! cernuntur miserissimi iuvenes, necnon cuiuslibet conditionis homines, qui ludo dediti integrae fortunae paucis diebus vel horis iacturam faciunt, familiam aerumnis immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur! Satagant igitur pro viribus Parochi et Confessarii, ut subditos et poenitentes ab huiusmodi ludendi furore avertant, atque solliciti sint, ne obtemperare renuentes ad Sacramenta admittant. — Sic recte concludit Gousset, n. 891. — V. *Casus*, n. 1021. et seq.

(*) In iure italico nullus ludus repro-
batur aut irritatur, sed nulla actio conce-
ditur pro exigenda solutione debiti sive
ex ludo sive ex sponsione; nisi agatur de
ludis, quibus corpora exercentur.

Qui tamen solverit, nequit ullo pacto
repetere solutum, nisi ex parte victoris
intercesserit fraus aut dolus, aut victus
fuerit minor, interdictus vel inhabilis de-
claratus, artt. 1802.-1804.

TRACTATUS DE STATIBUS PARTICULARIBUS

Agendum de statu 1^o laicorum, 2^o clericorum, 3^o regularium.

PARS PRIMA DE STATU LAICORUM

Iam in quarto Decalogi praecepto de variis et mutuis Superiorum et inferiorum officiis sermonem fecimus. In praesenti vero Tractatu de officiis, quae ad bonum publicum spectant, et imprimis de forensibus, nobis dicendum est. Hinc.

Agendum 1^o de obligationibus iudicum; 2^o advocatorum et procuratorum; 3^o apparitorum; 4^o scribarum et notariorum; 5^o accusatoris et rei; 6^o testium; 7^o medicorum, chirurgorum et pharmacopolarum; 8^o custodum; 9^o artificum et opificum.

Obligationes vero mercatorum et aliorum huiusmodi hominum satis intelliguntur ex iis, quae de iustitia et contractibus disseruimus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS IUDICUM

951. — Iudex est persona publica, per legitimam auctoritatem constituta (1), ut secundum leges iustitiam vindicet, et in delinquentes debitas poenas decernat.

Principia. — I. Iudex tenetur ex quasi-contractu cum societate ad munus suum rite adimplendum: quod nisi praestet, reus erit violatae iustitiae tum legalis, tum etiam commutativae.

II. Ut officio suo recte fungi iudex possit, habere debet 1^o intelligentiam officio parem, ut causas intricatas introspicere valeat; 2^o scientiam sufficientem et sagacitatem, ut omnium adiunctorum tum iuris tum facti

(1) Per hoc distinguitur iudex ab arbitro, qui non publica auctoritate, sed spontanea partium contententium electione iudicandi officium assumit.

rationem habeat (2); 3^o integritatem incorruptibilem, ut nec amori nec odio cedat.

III. Iudex tenetur sententiam ferre secundum leges et ordinem a legibus determinatum: non enim constituitur ad leges mutandas aut reformandas, sed ad eas executioni mandandas (3). Excipe casum specialem in quo iudici mens legis potius sequenda sit, quam cortex verborum; tum vero et aetatis ratio habenda est, et conditionis ac fortunae illius, cui poenam imponere debet (4).

IV. In causa dubia has teneat regulas.

1^o In *criminalibus* reo favendum est (5), nisi de crimine constet. — *Reg. iur. can.* 11. in 6^o.

2^o In dubio de *proprietate* simul et de *possessione* iuxta rationes probabiliores iudicandum est, ut constat ex iure naturali et propos. 2^a damnata ab Innoc. XI, quae sic sonat: *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem*. Si autem rationes sint ex utraque parte aequae probabiles, res dividenda est (6).

(2) Peccat mortaliter quisquis petat aut suscipiat iudicis officium, cui se ita imparem noscat, ut praevideat probabiliter grave proximi damnum secuturum. Sive autem conscius sive inconsci inopiae suae id egerit, absolvi non debet, nisi facta renuntiatione officii, vel nisi firmum habeat propositum renunciandi, aut certe (si spes sit, eum habilem studendo evasurum) interim inopiae suae supplendi adhibitis consiliis et opera alterius tum ingenio tum scientia praediti. S. Alphonsus, lib. 4. n. 195.

(3) Haec valent de iudice *inferiori*, qui ordinarie non potest poenam relaxare vel minuere, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ad bonum reipublicae secus faciendum dictaret epicheia, vel nisi de privata tantum iniuria actoris ageretur. Id tamen potest iudex supremus iusta de causa; quae si desit, graviter peccaret, quia animaret delinquentes, et concurreret ad peccatum. S. Alphonsus, lib. 4. n. 205.

(4) Harum circumstantiarum ratio habetur in ipsis legibus. Quocirca neque in his adiunctis res arbitrio iudicis plene relinquitur.

(5) Hoc intellige tum de reatu existenti, tum de poenarum meritis.

(6) Silentio praeterire Gury non debuit aliam sententiam, quam amplexi sunt plures (Vid. Lugo, *De Iust.* disp. 37. n. 114. 115.) iique, ut inquit Salmanticenses (Tr. 29. cap. 1. n. 41.), *gravissimi Doctores*, et quam sic effert Lugo (l. c.): *Quando utraque sententia est aequae probabilis, iudex melius quidem faciet procurando partes ad concordiam reducere; absolute tamen potest alteram ex illis eligere*. Et Sanchez (*Dec.* lib. 1. cap. 9. n. 45.): *Verius est, integrum esse iudici, quam maluerit, opinionem eligere, et secundum eam iudicare: immo, cessante scandalo, nunc secundum unam, nunc secundum aliam*. Dixi, hanc sententiam non fuisse silentio praetereundam; quippe oppositam, quam solam Gury proponit, vel ipsi Salmanticenses (l. c. n. 42.) mere habent ceu sibi *probabilior*.

Illud etiam non omittendum, pro ista Salmanticensium et Gury sententia S. Alphonsus allegasse etiam Villalobos, Prado, Sayrum etc., quippe quos citatos a Sal-

4^o In dubio de *sola proprietate*, pro certo possessore standum est. Constat ex *reg. iur.*: *In pari delicto vel causa (7), melior est conditio possidentis*. — S. Lig. n. 210.

952. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An iudex damnare possit reum quem privata tantum scientia sontem cognoscit, aut innocentem, qui iuridice nocens convincitur?*

Resp. ad 1^{um} prorsus iuxta omnes. Ratio est, quia iudex tenetur iudicare secundum allegata, et iuxta formas lege praescriptas. Nullum enim periculum est in dimittendo aliquando sontem occultum, dum magnum foret in violando statutas iudicii formas (8).

manticensibus reperit. Verum hos Auctores, aliosque, quos tacite S. Alphonsus subindicat, Salmanticenses (l. c.) afferebant non ubi quaestio est de *aequali probabilitate ex parte iuris*, sed ubi *aequalis probabilitas est ex parte facti*. Nam ubi de aequali probabilitate iuris sermo est, etiam Salmanticenses (ibid. n. 41.) praedictos Auctores cum Lugo et Sanchezio contra Gury sentire fatentur.

Caeterum, quamcumque demum in hac quaestione opinionem praeferas, *excipiendum*, ut habet S. Alphonsus (lib. 4. n. 410.), *si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli, et aliis causis piis; nam tunc pro iis iudicandum, cum iura sunt aequalia, etiamsi sint actores ex C. final. De sentent. et re iudicata*. Fateri tamen oportet, hinc difficultatem oriri contra opinionem Gury, quam alioquin S. Alphonsus (l. c.) omnino tenendam dicit, nempe generatim inter partes rem esse dividendam. Pro hac sententia S. Alphonsus post Roncaglia et Reiffenstuel rationem affert, *quia iudex non est dominus rerum, sed distributor, et (ut ait Reiffenstuel) iustitiae administer iuxta iura partium; et ideo si iura sunt aequalia, aequaliter inter eas rem dividere debet*. At enim dum Ius Canonicum, a S. Alphonso allegatum, praecipit, ut, si agitur de *viduis et pupillis*, pro his in casu iudicari debeat, numquid praecipit, ut iura iustitiae violentur? Et

si fas non est id affirmare, et alioquin alterius partis ius nequaquam deperire per se dicendum est, quia aequale ius est pupilli aut viduae, quomodo, servatis iustitiae legibus, iudex non decernet rem dividendam, sed alteri parti rem integram potest adiudicare? Non ergo gratis *gravissimi*, aiunt Salmanticenses, et *quampures et non exigui nominis theologi* (ut eos vocat Roncaglia Tr. 15. q. 2. c. 1. q. 9.), parum aut nihil detulerunt argumento, quod et Roncaglia et Reiffenstuel, et post eos S. Alphonsus firmissimum putaverunt.

(7) Ut *par causa* dicatur, rationes utriusque partis debent esse aequae probabiles. Quod si rationes actoris sint *probabiliores*, regula ista iuris, fatente S. Alphonso, locum non habet; nec limites probabilitatis excedit opinio, licet communior, illorum, qui iudicem obligant ad ferendam pro possessore sententiam. Vid. S. Alphonsus, lib. 4. n. 210. Q. II.

(8) Hoc intellige de iudice *inferiori*, qui in lege dispensare, maxime in re tanti momenti, non potest. Nam licet principi negetur potestas ex privata scientia aliquem occidendi, quando agitur de delicto, hoc tamen ipsi fas est, si agatur de impediendo malo, quod reipublicae imminet per aliquam personam. *Ita communis* apud Lugo *De Iust.* disp. 37. n. 50. *Insuper loquendo de causis civilibus et de ablatione officiorum, etc. maior for-*

Resp. ad 2^{um} valde controvertitur. Affirmat S. Thomas. 2. 2. qu. 64. art. 6. — Negat S. Bonaventura — S. Ligorius n. 208. utramque sententiam ut probabilem admittit, si agatur de causis civilibus, aut etiam criminalibus minoris momenti: si vero casus de criminalibus maioribus et praesertim de capitalibus occurrat, sententiam S. Bonaventurae rectiorem putat. Ratio est, quia in priori casu dici potest, saltem probabiliter, incommodum privatum debere bono communi cedere, cum tantum non sit. Secus autem in posteriori casu; ideoque tunc innocentem damnare intrinsece malum videtur (9).

tasse potestas inest principi ad hoc, ut ex scientia privata possit aliquando condemnare reum non convictum. Ita Lugo (l. c. n. 54.), penes quem huius doctrinae rationes videsis.

(9) Tres sunt (inquit Lugo disp. 37. n. 42.) potissimae in hoc puncto sententiae. Prima negat, unquam licere iudici proferre sententiam contra eum, quem certo scit esse innocentem. Secunda extreme contraria affirmat, posse iudicem semper proferre sententiam in qualibet causa iuxta allegata et probata. Hanc tenet S. Thomas, ... et Theologi ac Iuristae sine dubio in hanc partem communiter inclinant. Tertia sententia media distinguit de causis criminalibus in quibus agitur de poena vitae vel mutilationis, et in iis negat, licere iudici condemnare innocentem: in causis vero civilibus, vel ubi agitur de poena pecuniaria vel exilii, aut privationis officiorum, concedit licere. Cuius postremae partis hanc rationem reddunt (n. 44.), quia licet res publica non habeat dominium supra vitam et membra subditorum; habet tamen illud supra haec alia bona, ita ut adveniente iusta causa propter bonum commune possit de illis disponere, et auferre bona, privare officiis, expellere cives a civitate, etc. Ergo credibile est, dedisse hanc potestatem iudici ad eum finem, ut secundum leges ac probationes iudicetur, ne contemnatur ordo iudicialis, cuius observatio

summopere conducit ad pacem et quietem reipublicae. Quae quidem clarius definiunt et explicant doctrinam A., eiusque penitentiorem rationem reddunt.

Iudicium autem Card. De Lugo de praefatis sententiis hoc est (ibid. n. 45.): Inter has sententias secunda est valde probabilis propter auctoritatem S. Thomae et communem; tertia tamen habet rationes fortasse magis efficaces: nam licet non omnia eius argumenta probent,..... aliqua tamen habent magnam vim.

Rationes pro singulis hisce sententiis videre quisque per se potest penes eundem De Lugo; hic praestat ex eodem Auctore (ibid. n. 41.) subiicere, quae sunt extra controversiam: Certum est in primis (inquit), eum iudicem teneri omnia media tentare, et omnem diligentiam adhibere ad liberandum reum illum. Primo, excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem. Secundo, maxima dexteritate examinando testes exemplo Danielis, interrogando circumstantias loci, temporis, etc. donec eos dissidentes inveniat. Tertio, poterit, si fieri possit sine scandalo, dissimulare in carceris custodia, ita ut innocens fugere possit. Quarto, remittere causam ad iudicem superiorem, et coram illo testificari innocentiam rei, quam ipse scit. Quinto, si iudex sit supremus princeps, poterit facilius reum absolvere de potestate absoluta, secundum quam potest prin-

933. — *QUAER. 2^o An iudex munera pro ferenda sententia possit accipere?*

Resp. Neg. Hoc enim omni iure prohibetur; ac 1^o Iure naturali, saltem aliquo modo (10), quia munera mentem obcaecant, et ad favendum donatori plus aequo impellunt; et hinc vitium acceptationis personarum; 2^o Iure canon.; nam in 6^o (l. 1. tit. 3. c. 2.) Bonifacius VIII statuit, ut iudices nec munus ullum, nec quidquid aliud accipiant, nisi forsitan esculentum et poculentum mera liberalitate oblatum; 3^o Consonat ius positivum tum Romanum, tum Gallicum. Sic in art. 177. *Cod. poenalis* omnis magistratum corruptio per dona et promissiones gravibus poenis plectitur tum in corruptis, tum in corruptentibus (11).

QUAER. 3^o An iudex teneatur ad restitutionem, si munera a litigantibus acceperit?

Resp. Neg. probabiliter ante sententiam; quia etsi illicite agat munera acceptando, non peccat tamen contra iustitiam. — Ita commu-

iceps aliquando poenam debitam condonare. Quorum summa e S. Thoma (2. 2. q. 64. art. 6. ad 3., et q. 67. art. 2.) deprompta est. Bene autem ex his concludit Lugo, rarissime posse contingere, quod iudex non possit liberare eum, quem certo novit innocentem.

(10) Dicitur, *aliquo modo*; nam agitur tantummodo de tentatione, seu praevaricationis periculo, quod lex naturae removendum iubeat. Proinde S. Alphonsus (lib. 4. n. 216.) solum dicit, peccari *aliquando*.

(11) Si peccat iudex recipiens munera, eo ipso peccat et quisquis illa offerat; cooperatur enim alterius peccato. Excipe tamen rudes, quos plerumque ignorantia excusat. Item excipe, si munera dentur ad redimendam iniustam vexationem, quando prudenter iniqua sententia secus timenda videatur: quae tamen debent restitui, et etiam repeti in iudicio post sententiam possunt. S. Alphonsus (lib. 4. n. 212.) *cum communi*. Excipe etiam (praeter alios casus apud Lugo, disp. 37. n. 132.) cum Laymann (lib. 3. Tr. 4. c. 4. n. 9.), si iudex conductus sit absque stipendio sufficiente, vel si laborem augeat ad causam alicuius, sine aliorum damno,

velocius expediendam. Addit Laymann, non audere se acceptum munus damnare, spectato iure naturali, si iudex unius causam ante alios expediat, quando in eius arbitrio sit, quem cui praeponat; subdit tamen, *rem non vacare periculo*; et Lugo (l. c. n. 136.) absolute id reprobat, quia *quoties ex iustitia tenetur ex dis-iuncto gratis facere, non potest pro electione huius partis aliquid accipi*.

Quoad ea autem, quae a iure tantum positivo pendent, Lugo animadversionem aliam addit (l. c. n. 132.), *quod scilicet alicubi accipiantur sportulae a litigantibus ultra stipendium publicum: quae sportularum acceptio quibusdam in locis consuetudine praescripta est. In universum (pergit) observa, ea omnia, quae in hoc genere consuetudine legitime praescripta habentur, praesumi licita, dummodo non sint contra ius naturale; ubi vero ea consuetudo non sit, standum est iuri peculiari cuiusvis regni vel provinciae; singulae enim habere solent in hoc puncto leges proprias, magis vel minus strictas, quae obligabunt, quandiu contraria consuetudine non abrogantur.*

nus. — Lugo. — Lessius. — S. Antoninus. — Azor, contra *alios*, qui etiam *probabiliter affirmant*. — S. Ligor. n. 216., dicit utramque esse satis probabilem (12).

Attamen iudices saltem impellendi sunt ad munera accepta restituenda, vel ad ea in pia opera eroganda. Posset aliquando pro poenitentia id iniungi ad iudicem a relapsu avocandum (13).

QUAER. 4^o *An iudex restituere teneatur, quod ad sententiam aliquam ferendam ex pacto accepit?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si acceperit ad ferendam sententiam *iustam*, idest ad id praestandum, quod ex iustitia debebat. Ratio est, quia non potest esse materia contractus quidquid ex officio, atque adeo ex iustitia iam debitum est. *A fortiori* restituere tenetur ea, quae vi, minis, vel iniusta vexatione extorserit.

Resp. 2^o Si acceperit ad ferendam sententiam *iniustam*, certo tenetur ad restitutionem antequam eiusmodi sententiam ferat; lata autem sen-

(12) S. Alphonsus hoc loco refert doctrinam Salmanticensium ex Tract. XIII. cap. 1. n. 170-173., ubi non de speciali hac quaestione sermo est, sed generatim, *An ex donatione illicita et reprobata per leges oriatur in recipiente obligatio restitutionis*. Et quidem Salmanticenses dum permiscunt tum quae dantur ob perpetrata peccata, tum quae mere fovent recipientium avaritiam, tum quae acquiruntur simoniae aut in ludo aleatorio interdicto per leges (quo spectant duo loca Sancti Thomae ab ipsis allegata, quorum alterum post eos hic affert et S. Alphonsus), eam inducunt confusionem, ut nihil reipsa extendere ex iis liceat.

Praestat itaque retinere sententiam, quam ex Busembaum S. Alphonsus (l. c.) sic refert: *Etsi (iudex) a partibus munera liberalia accipiens aliquando peccet vel ob scandalum vel ob periculum pervertendi iustitiam, acceptorum tamen dominium comparat*. De qua subiicit S. Alphonsus: *Hoc est commune et certum*. Addit Busembaum: *Etsi lex positiva munerum acceptionem prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad restitutionem ante sententiam iudicis,*

nisi lex exprimat, quod non illicita tantum, sed etiam invalida sit acceptio. Vid. Bon. *De VIII. Praec.* q. 2. punct. 8. (quae allegatio spectat ad obligationem restituendi pauperibus, si quis receperit quidpiam pro gratia vel iustitia obtinenda in Curia Romana), Laym. lib. 3. Tr. 4. c. 4. n. 9. et 10. Et hanc sententiam a multis et gravissimis doctoribus tradi, auctor est Card. De Lugo (disp. 37. n. 134.), qui subdit, eam probari *ex communi praxi omnium iudicum etiam timoratorum, qui nunquam ea munera restituunt, quando fuerunt liberaliter data, nec a confessariis ad id obligantur*. Quae quidem confessariorum praxis nos quoque monet, ne consilio, quod A. subiicit, facile, ac sine maxima discretionem utamur, ne scilicet laqueos non necessarios poenitentibus iniiciamus.

(13) Ex dictis palam est, hic agi mere de consilio praebendo; neque enim confessarius potest id praecipere, ad quod praestandum probabile est poenitentes non teneri; neque prudentia facile consentiet, ut pro sacramentali poenitentia id iniungatur.

tentia, *controvertitur*, iuxta dicta de contractu in materia turpi, tom. 1. num. 760. (14).

954. — QUAER. 5^o *An iudex teneatur reparare damnum, quod non impedit, vel cuius reparationem non procurat, quando potest?*

Resp. *Affirm.*, quia est cooperator *iniustus et efficax*. Recole dicta de cooperatores negativis, t. 1. n. 690. et seq. et *alibi passim* (15).

QUAER. 6^o *An obliget sententia iudicis dubie iusta, aut certo iniusta?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.* omnino. Praesumptio enim Superiori seu iudici favet. — Vid. *de Consc.* n. 75., etc.

Resp. ad 2^{um} *Neg. per se*, ut patet (16). Excipe tamen, nisi adsit

(14) Si quaestio fiat mere iuxta iuris naturalis principia, ex dictis in not. ad n. 760. Vol. I. citra controversiam esse debet, eiusmodi pretium retineri in conscientia posse; neque enim opinioni oppositae probabilitas aliqua, nisi fictitia, tribui potest. Si vero ius positivum spectetur, quaestio solvenda ex dictis in nota praecedenti videtur.

(15) Circa hanc quaestionem enucleatius ista habe ex S. Alphonso: 1^o *Si iudex sententiam iniquam tulit dolo, litem fecit suam, idest damnum partis laesae in se transtulit, cui tenetur restituere* (lib. 4. n. 214.). Hoc intellige, servato ordine inter obnoxios restitutioni; nam ante alios restituere is tenetur, qui rem alteri debitam apud se habet.

2^o *Si iudex magna imperitia male iudicet, tenetur ad interesse parti laesae, et ad expensas litis; ubi etiam quotiescumque notabile damnum sive in substantia litis sive in superfluis expensis propter eius culpabilem ignorantiam partibus accidit. Est commune* (ibid. n. 195.).

3^o *Si alioqui dignus suo munere (tametsi id petens impetraverit, aliis dignioribus neglectis) per oblivionem ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis, cum iniuriam formalem non intulerit, neque aliquid*

commodi ex tali sententia acceperit, vel potius (secundum alios) cum culpam theologiam non commiserit: debet tamen revocare sententiam, si potest sine gravi incommodo (ibid. n. 214.). Et clarius: *Si iudex agnoscat errorem a se (etsi sine gravi culpa) commissum in praeiudicium litigantis, tenetur, si potest citra infamiam, impedire errorem, v. gr. monendo occulte partem laesam, ut sibi appellatione vel aliter consulat: quia id pertinet ad debitam muneris executionem* (ibid. n. 195.).

4^o *Iudex mortaliter peccat contra officium suum differendo valde notabiliter causarum expeditionem sine iusta causa... Idem tenetur parti laesae damna et expensas, quae ex iniqua dilatione sequutae sunt, restituere, quia est earum iniusta causa* (ibid. n. 196.).

Haec S. Alphonsus; circa quae tamen advertit, semper servandum esse ordinem legitimum inter eos, qui restitutioni sunt obnoxii. Ante alios enim primus omnium debitor ille est, qui rem habet, seu qui ex re aliena factus est ditior. Proinde si iudex restituat, rei alienae detentor tenebitur restituere ipsi iudici, qui secus etiam occulta compensatione uti posset.

(16) Clarius S. Alphonsus (lib. 4. n. 215.): *Sententia iniusta aut ex natura rei aut ex omissione ordinis iuris simpliciter necessarij, sive feratur per*

ratio scandali, vel perturbationis publici ordinis; quia bonum privatum semper bono publico cedere debet. Qui autem obtinet causam per sententiam iniustam, rem sibi adiudicatam recipere nequit, vel eam restituere debet, et insuper omnia damna et expensas parti adversae reparare tenetur (17). Si tamen in bona fide fuerit, hac evanescente rem alienam tantum reddere debet iuxta dicta de possessore bonae fidei, n. 635. (18)*.

APPENDIX I.

DE IURATIS (19).

955. — *Iurati*, sic dicti ob iuramentum, quod praestant de munere sibi credito recte exercendo, sunt viri selecti ex civium primoribus ad partem aliquam iudicum propriam obeundam. Adhibentur tantummodo in causis criminalibus, et munus eorum est pronuntiare circa existentiam facti et culpabilitatem accusati; deinde vero iudices poenam iuxta legem decernunt. Institutio Iuratorum, ab Anglis sumpta, creata fuit in gratiam reorum, ut a viris gravibus sorte designatis factum examinaretur, nullo affecto maligno erga accusatum, utpote plerumque sibi plane ignotum, adeoque ut illud factum certius cognosceretur.

Iurati desumuntur ex civibus notabilibus lege determinatis. Corpus Iuratorum (*le Jury*) constat duodecim civibus pro singulis iudicandis.

Iurati, qui sorte ad sessionem Curiae dictae *d'Assises* designantur, easdem contrahunt obligationes ac ipsi iudices, quorum magna ex parte

falso allegata et probata, sive ex iudicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiae, manetque parti laesae, tametsi non appellet, ius suum, licebitque, si absque scandalo possit, recuperare bona. Dixi, in foro conscientiae: quia in foro externo, ubi non tam veritas facti, quam probatio iuridica spectatur, sententia probata servanda est ad evitanda scandala et incommoda: neque elapso termino, intra quem appellare licebat, actio ei conceditur, lege sic statuente tum in poenam pigritiae, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis.

(17) Idecirco *laesus potest, nisi alter iuste praescripserit, per occultam compensationem sua recipere, quia recuperat ius suum.* S. Alphonsus, lib. 4. n. 215.

(18) *Qui bona fide rem postulavit a iudice, et bona fide accipit, remque*

bona fide possedit tempore ad praescribendum necessario, non tenetur restituere, quia legitime praescripsit. S. Alphonsus, lib. 4. n. 215.

(*) An iudex laicus vel syndicus pronuntiare possit secundum civiles leges divortium inter coniuges, disputabitur *de Matrim.* ubi *de Divortio.*

(19) Quaestio, an conferat ad bonum commune ista *Iuratorum* institutio, nostri instituti non est. Equidem contra se habet iudicium et praxim omnium retro saeculorum. Insuper cum rectum iudicium a peritia demum, et integritate iudicantium dependeat, num sperare hoc licebit ab istis iuratis, potiusquam ab ordinariis iudicibus? Recole quae in Anglia gesta sunt circa eos, qui adversus vitam Imperatoris Gallorum nonnullos ante annos moliti sunt. Huius anglicae institutionis incommoda et absurda habes a Saint-Paul egregie exposita.

munus exercent, et proinde de Iuratis, sicut de ipsis iudicibus, generatim dicendum est.

956. — *QUAER. Utrum IURATUS dare possit votum contra accusatum, iuridice quidem de crimine convictum, sed cuius innocentiam privata scientia certo cognoscit?*

Resp. Neg. Ratio est, quia hoc videtur contra mentem legis. Iurati enim pronuntiare debent tantum circa factum, ac iuxta intimam convictionem, quam de eius existentia habent, nec ullo modo tenentur reddere rationem legalem sententiae suae. Imo ex ipsa lege sententiam suam nec tenentur fundare ex tali numero testium, nec ex his vel istis rationibus a variis partibus in medium adductis, etc. Ergo votum dare debent tantum iuxta id, quod in foro conscientiae sentiunt. Itaque spectato munere, quod Iuratis imponitur, facile patet minime circa eos locum habere controversias illas, quae de iudicibus agitantur n. 2.

APPENDIX II.

DE ARBITRIS

957. — Arbitri dicuntur, qui ab utraque opposita parte ad litem aliquam dirimendam instar iudicum sponte eliguntur, aut admittuntur.

Pactum, quo facultas litem componendi ipsis tribuitur, vocatur *compromissum* (gallice, *compromis*). Hoc pacto adversae partes mutuo consensu promittunt, se executuras esse quicquid ab arbitris statuatur. *Compromissum* autem confici potest sive scriptura privata, sive scriptura authentica a notario confecta, sive etiam ex consensu communi viva voce expresso coram ipsis arbitris. Sub poena nullitatis in eo tum res diiudicanda, tum etiam arbitratorum nomina referenda sunt.

Arbitri, quicumque sint, semel a diversis partibus admissi, iudicum munere proprie gaudent, eorumque vices omnes gerunt, haud secus ac si a publica auctoritate forent designati. Possunt igitur causam ad se delatam instruere, rem ad aliud tempus opportunius differre, testes audire, et tandem lata sententia litem absolute dirimere. Attamen ex gallica lege civili ut talis sententia in foro externo valeat, agnoscenda est a Praeside tribunalis *primae instantiae* provinciae, in qua lata illa est.

958. — Cum arbitri iudicum munera adimpleant, easdem circiter obligationes, eademque onera ac iudices subeunt. Hinc.

1^o Non debent suscipere litem, cui diiudicandae doctrinam sufficientem non habent; secus peccant contra iustitiam commutativam, et restitutionis obligationem contrahunt (20).

(20) Haec ita intellige: peccant semper ob periculum, cui se committunt, errandi in materia iustitiae, nisi forte subsidium

peritorum adhibeant; ad restitutionem vero tenentur, si reipsa damnum errando intulerint.